

& orbiculo coriaceo capsulae A decenter indito , globum plumbeum tenui linteolo involutum opposito orificio B inseruimus , ut eò pressius arctiusque hoc clauderet : id quod necessum esse , partim illa Autoris verba suaserant , quibus *globulum plumbeum immitti jussert , qui cavitatem canalis exacte expleat* , partim verò præconcepta opinio quâ globum orificio B firmiter hærentem , ab aëre externo per A violenter irrupturum eodem orificio B rursus expellendum esse , nescio quo pacto nobis persuaseramus .

V. Hæc ita præconcepta mente opinio , nec attentè satis ad Autoris verba paulum obscuriora eam advertere erat passa , & multum confirmabatur à comparatione hujus inventi cum sclopis puerorum , quos anteriore parte globulo chartaceo solent onerare , à parte postica verò pistillum vel solum vel prævio globulo chartaceo alio , pressius ac velocius intrudendo aërem intus conclusum validè urgent & hujus ope globulum anteriorem non sine fragore explodunt : Ita scilicet , existimabam , subito aperto epistomio D , aër intratum AB conclusus per canalem C in recipiens exhaustum maximam partem se recipiet ; tum verò aër externus utrumque quidem orificium A & B æqualiter urgens , per illud potius , quod mollior è corio tegit orbiculus , quam per hoc , quod globus plumbeus arctè intrusus obturaverat , irrumper & circulum coriaceum , ac pone hunc aërem internum residuum , in globum plumbeum accelerato etiam in his angustiis impetu protrudet , eoque pacto explosionem perficiet . Eratque vis tanta hujus nostri præjudicij (quam non sine pudore nostro in commodum aliorum hic adnotamus ) ut in autoris schematismo errorem forsan à cælatore admissum crederemus , quo pars sclopeti A fuisset ad metam directa , cùm altera B , opinione nostrâ , eò converti debuisset .

VI. Et videbatur sanè effectus ipse quodammodo favere huic nostro præjudicio . Paratis enim dicto modo omnibus ac epistomio D subito circumducto , non explodebatur quidecum